

simae substrato, erga Repraesentationem SS. et OO. Excel. Domino Episcopo et officii Banalis Locumtenenti, cum eo, ne illud citra ultiores altissimos ordines in publicam pertractationem assumatur, remisso; per Eandem Suam Excelentiam SS. et OO. resignato — SS. et OO. praeattactum operatum usque proximam Regnicolarem Congregationem ad Archyvum Regni reponendum esse concluderunt.

In reliquo siquidem recentioribus temporibus in Regni Hungariae Diaeta Comitatus Poseganus, Veröczensis et Syrmienensis ad Hungariam pertinere praetenduntur, e ratione conservandae Regnorum Croatiae et Slavoniae praevigentis nexus SS. et OO. Suam Majestatem Sacratissimam, ut vetustam nomenclationem Slavoniae inferioris in edendis suis altissimis Resolutionibus Regiis et Benigno Gratosius Intimatis adhibendam disponere dignetur, ultro exorandam esse determinarunt.

Articulus Vigessimus Primus.

De Benigna Resolutione Regia quoad Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Intitulatura Benignorum Rescriptorum Regiorum adhibitionem emanata.

Publicata exstitit Benigna Resolutio Regia ddto. 27. Aug. 1846, Nro. 13128 edita, tenore cujus Sua Majestas Sacratissima declarare dignabatur, quod intuitu Nominum Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae in titulatura Benignorum Rescriptorum Regiorum retinendorum altissimae suae Resolutioni ad SS. et OO. Regni in Comitibus Anno 1840 Congregatos et quidem ad punctum gravaminum et postulatorum 17 Classis I. ac 6 Classis III. editae porro quoque inhaereat.

Articulus Vigessimus Secundus.

De Repraesentatione quoad Urbem Portumque Fluminensem Ablegatos suos ad Regni Congregationes haud exmittentem altissimo Loco substrata.

Cum pro praesenti Regnicolari Congregatione ex Parte Urbis Portusque Fluminensis nulli Ablegati comparuerint, non poterat non praevia procedendi ratio in SS. et OO. Regnorum horum inamoene agere, ex Benignis Rescriptis Regiis ddto. 5. Septembris 1777 ac 19. Aug. 1808 perspicuum habentes, quod postquam Libera Commercialis Urbs ac Portus Fluminensis per piae Memoriae Reginam Mariam Theresiam Regno Croatiae immediate incorporatus exstitit, Jus voti et Sessionis Gubernatori Fluminensi ac Ablegatis Civitatis Fluminensis per SS. et OO. Regnicolariter Congregatos mediante Art. 8 Regni Congregationis 29. Februarii ac subsequis Mensis Martii 1808 asservatae adjectum fuerit, hocque SS. et OO. conclusum altissimam approbationem ddto. 19. Aug. 1808 tulerit.

Quapropter SS. et OO. Jus Suum in Urbem Portumque Fluminensem semper evincere contententes ac reclamantes, Suam Majestatem Sacratissimam de genu interpellarunt, quo Urbi Portuique Fluminensi obligationem pro Cunctis Regnorum horum Congregationibus Ablegatos suos mittendi ac de objectis Re-